



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 31. Præsules pro concinnandis securitatis literis nominati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

cunctis sponte suos errores abjurantibus  
 venia promitteretur, nequaquam ii,  
 qui illis immorari vellent, a securitatis  
 fide excluderentur: cum tamen hac pro-  
 missione turbidi Calvinistarum animi in  
 Gallis placari haud possent, ac insulse  
 prorsus objectarent Joannis. Hussi sup-  
 plicium, decretumque, vi cuius Con-  
 stantiense Concilium eos hæreticos, qui  
 duntaxat Principum profanorum literis  
 muniti forent, in jus vocandi liberta-  
 tem Judicibus Ecclesiasticis permitte-  
 bat, quapropter Ferrariensis Cardina-  
 lis ejusmodi securitatis diploma absque  
 omni restrictione concedendum, ple-  
 namque ad sua revertendi libertatem  
 Protestantibus promittendam, existima-  
 bat, etiamsi errores suos non ejurent,  
 nec ad finem Ecclesiæ revertantur: ita-  
 que hac super re literas dabat ad sum-  
 mum Pontificem, qui illius monitis ce-  
 dens Tridentum ad suos Legatos per-  
 scripsit, ut hæc verba: *dummodo ex corde*  
*redeant*, delerent, atque accurrate for-  
 mam sequerentur illius sponsonis, quæ  
 Anno Christi millesimo quingentesimo  
 quinquagesimo quinto Germanis a Sy-  
 nodo fuisset facta.

## §. XXXI.

*Præsules pro concinnandis securitatis  
 literis nominati.*

C c 2

Abso-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1562.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

**A**bsoluta Sessione quantocius Legati pro conficiendo securitatis diplomate quatuor nominabant Episcopos, Joannem Baptistam Castaneam Rossanum Archiepiscopum, Augustinum Salvagum Archipræsulem Genuensem, Hugonem Boncompagnum, postea in Papam electum, ac Gregorium XIII. nominatum, & denique Gabrielem Paleottum, qui neglectis plurium privatorum opinionibus, quarum nonnullæ plus æquo acerbæ, ac aliæ factu nimium difficiles erant, hanc impunitatis cautionem absque omni restrictione esse concedendam autumabant: cum ergo omnes ferme Patres hanc sententiam unanimi suffragio amplecterentur, Synodi Promotori negotium dabatur, ut diploma nunc confectum ad acta referret iisdem omnino verbis, quæ adhibebantur in Sessione V. die vigesimo quinto Januarii Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo sub Julio III. celebrata.

*Labb. pag.*  
844.

Hæ publicæ fidei literæ in tres partes erant divisæ, in quarum prima Synodi Patres cavebant Nationi Germanicæ iisdem omnino verbis, quibus in literis anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto utebantur: in secunda vero parte subjungebant, quod omnibus, qui ab Ecclesiæ Romanæ

fide

fide recefferunt, cujuscunque sint Nationis, Provinciæ, urbis, aut loci, eandem sponfionem faciant, quæ Germanis jam antea concessa fuisset: porro percipiamus propria Synodi verba, quæ in ejusdem gratiæ extensione pro ceteris Nationibus ad hujus diplomatis finem adjuncta leguntur: *Eadem Sacrosancta Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, præfidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis de latere legatis, omnibus, & singulis aliis, qui nobiscum in iis, quæ sunt fidei, communionem non habent, ex quibuscunque Regnis, nationibus, Provinciis, Civitatibus, ac locis, in quibus publice, & impune prædicatur, vel docetur, sive creditur contrarium ei, quod Sancta Romana sentit Ecclesia, dat fidem publicam, sive Salvumconductum, sub eadem forma, & eisdem verbis, quibus datur Germanis.*

Hæc ipsa clausula tertiam hujus diplomatis partem constituit, in qua Patres declarant, quod, quamvis in hoc diplomate non singulæ Nationes ob legitimas causas, comprehensæ videantur, nequaquam tamen propterea quisquam illorum exclusus crederetur, qui pœnitentia ducti ad Ecclesiæ obsequium reverti voluerint, cujuscunque demum patriæ fuerint.

Sæc. XVI.  
A. C. 1562.